

Praedonibus vendere asveti sint, benigne aequè resolvimus, ut dispositiones nostrae fundamento Articuli 29. novissimae Diaetae respectu similium Quaestorum et Mercatorum Turcicorum, qui subditi Turcici sunt, per Hungariam factae, ut videlicet minutias et extra publicas Nundinas cum rebus et Mercibus Turcicis Quaestum exercere non audeant, a Quaestu autem cum aliis rebus et Mercibus non Turcicis penitus arceantur, etiam ad praefatos neo-incorporatos Comitatus inducantur, ibidem ad Notitiam illorum publicentur et pro futuro debite observentur, dato tamen iis, qui hactenus cum rebus non Turcicis Questum exercere solebant, pro distractione ejusmodi Mercium suarum certo ac competenti Termino.

Caeterum ad Instantiam Comitatus Syrmienis, ut Petrovaradini aliquot saltem Scholae humaniores pro erudienda etiam illarum Partium Juventutis inducantur, jam benigne disposuimus, ut Fundus idcirco requisitus per Cameram nostram exquiratur, et illo comperto, Petito ejusdem Comitatus deferatur. Praeterea autem injugetur eidem Comitatu Syrmienis, ut quoad Commoditates, tam pro publicis ejusdem Comitatus Carceribus, quam Carcerum Praefecto jure precario hactenus a Dominio Illokini habitas, jam vero per Dominium difficultatas, pro ulteriori Comitatus usu et necessitate relinquendas, cum eodem Dominio, usque dum Comitatus ipse in Statu fuerit sibi ejusmodi Commoditates extruendi vel comparandi, de certo eatenus annue solvendo proportionato Censu convenire et contrahere studeat, et hoc ipsum etiam Vice-Comes ejusdem Comitatus, quoad suam Commoditatem, nisi aliud quodpiam fundatum Jus ad eandem haberet, faciat, ut hoc modo ulterioribus dicti Dominij Querimoniis finis imponatur.

Et quia Fidelitates vestrae ad hujus Comitatus Querimoniam sub die 24. Mensis Octobris anni praeteriti, Nobis demisse repraesentassent, quod Generalis Campi Mareschalli Locumtenens noster Baro Engelshoffen pro aequivalente partis Militaris Fossati nostri Petrovaradiensi anno praeterito benigne aequè incorporatae, ex dicto Comitatu Syrmienis decem Loca avellere et ad Confinia Militaria applicare voluerit, interim, ille desuper constitutus semet Loca illa projectasse duntaxat, non autem avellere voluisse respondit.

Quibus proinde praevio modo benigne resolutis et dispositis, Fidelitatibus vestris benigne committimus ac mandamus, quatenus eadem dictis Syrmij et inferioris Sclavoniae Comitatus pro ipsorum directione respective et debita observatione intimare noverint. Quibus in reliquo gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die Septima Mensis Martii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Franciscus Koller m. p.

*In inferiori margine:*

In gleichen an die Croatische Stände.